

tentia discutienda immerer. Dato autem, quod in casu proposito infirmi periclitantis liceat Parocho per unam noctem vel partem noctis Sacrum Oleum domi retinere, ut promptius accurat ad illud morituro ministrandum, ex hac generalis regulae limitatione recta consequitur, ab regulae observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse proindeque illicitum fore unica tantum commoditatis ratione Sacrum Oleum domi retinere.

Quoniam vero in casu proposito agitur de consuetudine Parochorum, qui pro sua commoditate retinent sacrum Oleum, secus respondendum non erat quam *negative*, hoc est, consuetudinem esse reprobendam, damnandam et eliminandam. Scite tamen S. C. unam posuit limitationem excepitque casum necessitatis magnae distantiae ab Ecclesia, sed simul consultum voluit honestae decentiae tutaeque custodiae, quemadmodum exigit Rubricae dispositio.

#### b) Usus.

In Congreg. gener. habita in conventu s. Mariae supra Minervam cor. EEm DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito dubio: An in casu necessitatis parochus ad validitatem Sacramenti Extr. unctionis uti possit oleo a se benedicto? iidem EE. decreverunt: *Negative* ad formam decreti fer. V. cor. SSmo. Die 13. Jan. 1611. Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius PP. XVI. resolutionem EErum approbavit. Die 14. Sept. 1842.

Vd.: *Extrema Unctio* (Oleum).

#### 6) Infusio in fontem baptism.

Vd.: *Baptismus* (oleum vetus); *Benedictio fontis* (oleum).

*Ad dubium*: an cum *solemnitate* infundi possint s. Olea Fonti baptismali,

cui non potuerunt infundi in vigilia Paschatis, cum tum necdum haberi potuissent? S. C. resp.: *Negative*. n. 4623 V. 3. die 16. Dec. 1826.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ab hoc dubio me paucis expedit. Nam repetenda hic forent quae dicta jam sunt. Nulla enim ratio occurrit, quae posita queat adprobri solemnitas quoad infusionem sacrorum Oleorum in Fontem baptismalem, si eadem haberi nequiverunt Sabbato Sancto, dum sacra actio benedictionis aquae peracta fuit. Auctores liturgici agentes de hac oleorum infusione dilata ad aliam diem nullam solemnitatem memorant adhibendam, multoque minus locum sibi vindicare potest illa, de qua in dubio proposito. Sed quid opus est liturgicos Scriptores consulere, si expressam habemus S. R. C. declarationem in *Lucana ad dub. 3* hisce verbis conceptam: *An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice aut Plebanali benedicta, cui privatim et separatim et non in ipso actu benedictionis baptismalis Fontis fuerint infusa Olea sacra?* En responsum: *Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui sacra Olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem sacra olea recipere non potuerunt, illa subinde Privatim ac Separatim in aquam mittere poterunt.* Ita sub die 12. Aprilis 1755. Si *privatim* ex praefato responso sacra olea infundenda sunt, nonne eliminanda est quaelibet extrinseca solemnitas?

#### 7) Mixtum.

Posse oleo benedicto adjungi non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim et in unaquaque admixtione sit

in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat quantitas major non benedicti.

S. C. C. Die 23. Sept. 1682 (Resp. dat. ad quaest. 13.).

Cf.: *Collect. Brev. Pii VI.* tom. I. p. 336; *Extrema Unctio* (Oleum mixtum); *Olea s.* (Consecr., decr. Pii VI. 28. Maii 1793.)

#### 8) Vetus.

Vd.: *Baptism.* (Oleum); *Coena D.* (Olea s.; distrib.; dies et obligatio); *Sacerdos* (SS. Confirmat. etc. decr. PP. Pii VI. de die 10. Apr. 1775; 26. Jan. 1796.).

### S. ONUPHRIUS.

Si festum s. Onuphrii ante Bullam Pii V. celebrabatur cum Officio et Missa, potest continuari; si vero introductum est post Bullam, nullo modo permitendum est. S. R. C. 17. Novb. 1632.

### OPERA SERVILIA.

(In dominica.)

Vd.: *Dominica* (licentia laborandi); *Vacatio ab operibus.*

### ORATIO.

#### 1) Conclusio.

Vd.: *Conclusio Orat.*; *Instr. Cl. §. XXIV*, n. 23—26. *De conclus. orat. in missa immac. cordis B. V. M.*, vd.: *Missale* (Correctio, dub. XVIII.). *De conclus. orat. missae fer. VI. p. Ciner.*, vd.: *Missale* (Correctio, n. II. A. 1.). *De conclus. II. Orationis in Sabb. s. ad Bened. font. positae ante praefat.*, vd.: *Ibid.* n. 4. *De conclus. Orat. missae Sabb. s.*, vd.: *Ibid.* n. 6. *De conclus. Orat. in Dom. Resurr.*, vd.: *Ibid.* C. n. 11. *De conclus. Orat. in Coll. Ordin.*, vd.: *Oratio in Ordin.*

#### 2) Pro concordia.

In Oratione (sub diversis n. 9) pro concordia est (in Postcommun.) verbum „ejusdem“ delendum. S. R. C. 25. Sept. 1860. Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 50).

#### 3) Pro Defunctis.

Collectae pro def. non admittuntur nisi in missis festorum simplicium et ferialibus. n. 2345 ad 9 die 31. (Julii) 1665.

Mos, a die sepulturae defuncti, novem per dies missas celebrari et in oratione assignata a missali pro diebus 3, 7, et 30 addere a 2. die: diem secundum, tertium, quartum et sic de reliquis, ordinatim perveniendo ad nonum, contra missalis praeceptum, — est abusus, qui omnino tolli debet. n. 2811 ad 3 die 16. Jan. 1677.

In missa privata de Sancto semidupl. vel simpl. seu votiva vel de infra octavam, sive de feria non privileg., dici potest Collecta pro particulari defuncto, puta: *Inclina etc.* in *penultimo* loco, nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis. n. 3073 ad 6 die 2. Decb. 1684.

Vd.: *Indulg.* (Salutat.)

#### 4) Ecclesiae.

*Ad dubium*: An in Missa, quando dicitur Oratio *A Cunctis* pro tertia Oratione ad libitum, vel quia imperata, possit poni Oratio *Ecclesiae Tuae*, quod circa finem in verbis cum prima pene concordat?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare.

N. 5152 ad 2 die 29. Martii 1851.

#### 5) Pro Episcopo.

Vd.: *Reverentia erga Episcop.* (decr. n. 3551 ad 3); *Oratio pro Rege in Parasceve* (decr. n. 5101.).

In *Collectis* Sacerdotes non debent in Missis publice proferre nomen Ordinarium. n. 887 ad 1 die 7. Decb. 1630.



pore Passionis omittuntur suffragia in Officio et in Missa Orationes vel *A Cunctis* vel *Concede*, ut nostra intentio feratur in Christum solum, nostraque spes in unicum ejus singulare refugium, utque uni Christo Crucifixo fidenter vacemus. Videri potest Gavantus, qui ad Rubr. Miss. *part. 1 tit. 9 n. 8* agens de Octavis et Pentecostes: *Valet, inquit, ea ratio, quam affert Durandus in Dominica Passionis, in qua cessant commemorationes Sanctorum in Officio, ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum, spes nostra elevetur ad unicum ejus singulare refugium. Addimus igitur in tempore Passionis, Paschatis et Pentecostes aliam Orationem tantum pro Ecclesia vel pro Papa, pro quibus praecipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque B. V., quia Christus et Spiritus Paraclitus sunt tunc temporis supremi et unici Advocati.* Videri etiam possunt Meratus *ib. et part. 4 tit. 7. n. 4.*, Tetamus *Diar. Ecclesiast. Civil. Tract. 2 lib. 4 part. 2 cap. 6 art. 2.*, Cavalieri *tom. 3 cap. 8 Decret. 1 n. 16* alique. Addam ego et dicam fidenter, nullum esse tempus magis idoneum, ut pro ingruentibus necessitatibus Deum exoremus, quam illud, in quo recolimus memoriam Passionis D. N. J. C., qui Sanguine suo Ecclesiam fundavit, nos liberavit a morte et in nostris necessitatibus factus est propitiatio nostra et mediator apud Patrem. Jure igitur S. C. proposito Dubio respondens, a regula generali, quae in omnibus Dominicis Adventus et Quadragesimae Orationem imperatam admittit, excepit dumtaxat Dominicam Palmarum et IV. Adventus, dum occurrit cum Vigilia Nativitatis.

*Ad dubium:* Collecta pro re gravi imperata potestne dici in Duplicibus I. Cl. et in Missis, quae unicam Orationem admittunt? Et quatenus affir-

mative ad utrumque, estne dicenda sub unica conclusione?

„Negative in omnibus et detur Decretum in una Namurcen. diei 23. Maji 1835 ad Dub. I.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 15 die 16. Apr. 1853.

c) Omittenda estne, si jam reperitur in missa diei?

Vd.: *Oratio imperata* (dicenda etc. decr. n. 4746.).

Non est omittenda una ex assignatis orationibus in missa, ut ejus loco dicatur Oratio imperata S. R. C. 2. Decb. 1684.

d) Ordo dicendi.

Oratio imper. semper recitanda est post omnes commemorat., quae 2do et 3tio loco addendae praescribuntur, sed ante orat. vot., quas Celebrans forte ad libitum adjungit. Si forte in missa dicenda est Orat. *de Venerabili*, dicit. semper ante orat. imp. S. R. C. 23. Junii 1736; 16. Febr. 1736. *Instr. Cl. §. 17 n. 26 et 28.*

Vd.: *Oratio imp.* (dicenda; quaest. 4 decr. n. 4746.).

e) A quibus dicenda?

In Ecclesiis Regularium aliisque exemptis recitandae sunt collectae ab Ordinario loci praescriptae. n. 4578 ad 1 die 3. Apr. 1821.

f) Quando desinit?

Non licet Clero ... a Collectarum per Ordinarium praescriptarum recitatione cessare pro lubitu, antequam Ordinarius id jusserit. n. 4578 ad 2 die 3. Apr. 1821.

g) Quis imperat?

*Ad dubium:* an Praelati regulares etiam locales possint ordinare Collectam dicendam in missa a Subditis tam pro necessitatibus Ordinis quam pro necessitate communi? S. C. resp.: Non licere sine licentia Episcopi. n. 4393 ad 16 die 27. Mart. 1779.

9) Pro Imperatore fer. 6. Parasc. et Sabb. sancto.

Vd.: *Missale* (Correctio, decr. inserenda etc.).

Cattaren.

In Ordinariis S. R. C. Comitibus ad Quirinale subsignata die habitis, quum inter cetera negotia actum etiam fuerit de supplici Libello a Rmo Episc. Cattaren. proposito, quo expetebat immutationes faciendas in Orationibus pro Imperatore Romano Feria VI. in Parasceve; nam Franciscus I. Austriae Imperator defunctus die 6. Aug. 1806 dignitati Imperatoris Rom. renunciavit et ejus successor Imperator Austriae vocatur; Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi, referente Secretario, rescribendum censuerunt: „Negative.“ n. 4872 die 31. Aug. 1839.

Juxta opinionem quorundam Rubricistarum loco horum verborum *Missalis — Pro Christianissimo Imperatore Nostro — dici debet — Pro Romano Imperio — si Imperium sit vacans.* Quaeritur: an hodieum ita fieri oporteat tam Fer. VI. in Parasceve quam Sabb. S. vel an monitio et Oratio pro Christianissimo Imperatore et verba, quae ipsum concernunt circa finem benedictionis Cerei, sint penitus omittenda, prout ut in plurimis Eccl. a multis annis fieri consuevit?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Esse penitus omittenda.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad VI. die 7. Decb. 1844; n. 5012 ad 3 die 15. Junii 1845.

Sarsinaten.

Quum pro parte Vicarii Generalis Rmi Ep. Sarsinatis S. R. C. sequentes exhibitae sint preces SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. inscriptae, ut infra:

Beatissimo Padre.

Il Vicario Generale della Diocesi di Sarsina supplica la Santità Vostra affinché voglia degnarsi sciogliere il seguente Dubbio, cioè Se debba, o no dirsi attualmente l'Orazione *pro Imperatore* nelle preci del Venerdi Santo, e nel Preconio *Exultet* del seguente Sabato, dicendo gli uni che dopo il Trattato, in cui Francesco Secondo assunse il nome di Francesco Primo, e cambiò il titolo d'Imperatore di Germania in Imperatore di Austria, riducendo ereditaria la successione, e non più dettiva, cessasse da quel punto anche il nome di Romano Imperio, che quelle preci se si facessero, sarebbero illusorie, e ch'è pratica universale ne Stato Pontificio, ed in Roma istessa di omettere le Preci *pro Imperatore*: gli altri al contrario dicono, che in alcuni luoghi dello Stato si continua a nominare in quei giorni l'Imperatore, e che non esistendo (come qui in vero non si conosce) una disposizione della Santa Sede, non si deve discostare dal Messale. Che etc.

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitibus coadunati, infrascripto Secretario referente, rescripsere: *Esse omittenda.* n. 4860 die 3. Aug. 1839.

*Ad dubium:* Quum ab anno 1806 in persona Francisci II. Austriae imperatoris cessaverit Romanum Imperium,



In Collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis. n. 1611 ad 6 die 25. Sept. 1649.

Ultra Archiepiscopum et Episcopum, necnon Regem in Hispania, nullus alius princeps nominandus est in missa. n. 2656 ad 6 die 16. Sept. 1673.

#### 6) Pro fundatore Monasterii.

Non convenire nec potuisse fundatorem Monasterii Religiosis ipsius Monasterii imponere, ut in eadem collecta, quae ex privilegio Apostol. pro Rege etc. dicitur, etiam ipsius fundatoris nomen exprimatur, nec ad id onus Religiosos compelli posse, cum praeter debitum ritum sit in eadem Collecta, quae pro vivis dicitur, fundatorum nomina exprimere. n. 290 die 28. Jan. 1606.

#### 7) Pro Governatore.

Non licere Clero civitatis de Logos in Regno Algarbiorum addere in missarum collecta verba: *Gubernatorem nostrum etc.*, licet sit Governator ejusdem regni, quocumque abusu in contrarium non obstante. n. 2543 die 13. Junii 1671.

#### 8) Imperata.

##### a) Dicenda et in quibus festis?

Cl.: *Oratio ad libit.*; *Oratio tertia*; *Oratio: Ecclesiae*; *Instructio Clement.* §. XVII. n. 22—30.

*Ad dubium*: An in iis temporibus, quando 3. Oratio in Missis est ad libitum, ac ex jusu vel Summi Pontificis vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, seu ad petendam serenitatem aut pluviam etc., haec oratio praescripta a Summo Pontifice vel ab Episcopo ne-

cessario ponenda sit in Missis tertio loco et praetermittenda, quae ad libitum, seu potius Celebrans possit recitare tertiam orationem ad libitum seu devotionis, et quarto loco, quae est praescripta de mandato Pontificis vel Episcopi?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

„In casu proposito ad primam partem negative, ad secundam affirmative per modum praeccepti et obligationis.“ n. 3814 ad 3 die 17. Aug. 1709.

In missa de vigilia Nativ. haec verba, quae post collectam leguntur: *Et dicitur haec Oratio tantum*, excluduntne Orationes a Superiore praecceptae? S. C. resp.: In missa vigiliae Nativit. debent omitti orationes a Superiore praecceptae.

Si Oratio praeccepta sit pro *re gravi*, dicenda erit in dupl. 1. cl. sub unica conclusione et in dupl. 2. cl. sub sua conclusione; si non sit pro *re gravi* omittenda in dupl. 1. cl., in dupl. 2. cl. arbitrio sacerdotis. n. 4526 ad 22 et 23 die 7. Sept. 1816.

*Ad dubium*: An in Duplicibus I. et II. cl. recitanda sit Collecta a Majoribus imperata?

Et Emi ac Rmi P. S. eidem C. praepositi respondendum censuerunt: *Juxta votum*, videlicet:

„Negative in duplicibus I. cl., ut alias responsum fuit. Quoad duplicia vero II. cl. poterit ad libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata in Missis privatis tantum; in Conventuali et solemni omittenda.“ Et ita responderunt die 15. Maji 1819 n. 4560 ad 2.

#### NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Quod Oratio sive Collecta a Superioribus imperata sit omittenda in Festis Rit. dupl. 1. cl. tam certum est quam quod maxime. Declaratum id lego a

S. C. die 7. Aug. 1627, quae ad Dubium: *an Oratio*: Deus refugium nostrum, quando SSmus eam pro *re gravi* dicendam jubet, dicenda sit etiam in Festis I. cl.? respondit: *Non esse dicendam*. Nondum tamen definitum fuit: num eadem regula locum obtineat in duplicibus II. cl., quamobrem jure Cl. Vir Joannes Canonicus Fornici alter ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris hac super re consultus, censuit id, quod nulla est certa lege sancitum, ex rubricarum dispositione deductive esse firmandum. Quamvis enim duplicia I. vel II. cl. quoad majorem minoremve solemnitatem et per multa privilegia inter se differant, pleraque tamen habent, quae sunt utrique communia, atque haec inter illud est, quod neutra admittat commemorationes *de infra Octavas Festorum*, nisi haec ex solemnioribus sint, quae a regula generali excipiuntur: hinc ob paritatem rationis dici posse videtur, neutri Orationem imperatam esse adjiciendam. Dubium tamen oritur, quia, si occurrat in dupl. II. cl. Festum rit. simpl., fit de hoc commemoratio in Missis privatis, quamvis in dupl. I. cl. non fiat. Cur igitur dicenda non erit Oratio imperata, si legitur de festo simplici? Enimvero illatio non valet: Ideo Missa in Festo rit. dupl. II. cl. admittit commemorationem Festi simplicis, quia nisi ea fieret in Missis privatis, eo anno foret omnino omittenda; imo et etiam semper quoad simplicia illa, quae quotannis incidunt cum dupl. II. cl., veluti est Festum *S. Adriani Martyris* in solemnitate Nativitatis B. M. V. Id vero non accidit de die infra Octavam, quia si haec silet occurrente dupl. II. cl., obtinet tamen in aliis diebus. Concludi hinc posse videtur, quod nec Oratio imperata locum habere debet, quia, si in occurrente dupl. II. cl. non legatur, dicitur tamen in reliquis anni diebus non

exceptis. His accedit principum Ecclesiarum Urbis praxis, quam sequendam esse putat *Cl. Gavantus part. 1, tit. IX. ad n. 16* qui, postquam dixerat ex Decreto S. C., Orationem imperatam omittendam esse in dupl. I. cl., ita prosequitur: *In aliis vero II. cl. communior usus insigniorum Ecclesiarum Urbis est, ut neque dicatur in Missis privatis, nedum in solemni, a qua sola excluditur commemoratio de Festo simplici: quae consuetudo mihi placet*. Sed quoniam nec ulla habetur positiva lex, quae in simili occurrente omittendam eam esse jubeat, neque ullum Decretum, quo declaretur id, quod non est jure definitum, ac varia insuper est Sacerdotum et Ecclesiarum praxis; ideo sapienti consilio S. R. C. confirmans Decretum alias latum de omittenda Oratione imperata in duplicibus I. cl., quod alia II. cl. arbitrio Sacerdotum relinquit eam addere vel omittere in Missis lectis. Excipit tamen Missam Conventualem, quae, sicut ex rubricarum praescripto respuit commemorationem Festi simplicis, ita nec admittit debet Orationem imperatam.

*Ad dubium*: An 1. alia Oratio addenda sit loco imperatae, quando haec reperitur in Missa diei, ex gr. in Dominica XXII. post Pentecosten, si Oratio imperata sit: *Deus refugium*? 2. *Si praescripta sit Oratio pro Ecclesia vel pro Papa, semper dicenda sit utraque, ita ut non possit satisfieri Rubricae et praeccepto Superioris per solam Orationem pro Papa*? 3. Gavantus dicit Sacram Rituum Congregationem die 28. Augusti 1627 decrevisse Orationem praescriptam a Superiore pro publica causa regulariter omittendam esse in festis primae Classis: idem Auctor affirmat communioem usum insigniorum Ecclesiarum Urbis esse, ut neque dicatur hujusmodi Oratio in Missis privatis, nedum in solemni in Festis



secundae Classis. Aliunde citatur sequens Decretum ad Episcopum Tuden. in Hispania 7. Sept. 1816: Si Oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in duplici primae Classis, in duplici vero secundae Classis arbitrio Sacerdotis. Inde animi fiunt ancipites, quum praesertim Superior non soleat praecipere Orationem, nisi pro re gravi. Postulatur decisio. 4. Ex titulo quinto Rubricarum generalium Missalis nonnullis diebus facienda est commemoratio generaliter pro Defunctis in Missa de die; haec commemoratio seu Oratio *Fidelium* videtur ponenda penultimo loco ex Decreto diei 2. Decembris 1684, si vero praecipiat ab Ordinario Oratio pro re gravi, v. gr. *Deus refugium*, an Oratio *Fidelium* etc. dicenda est penultimo loco seu immediate ante Orationem praescriptam a Superiore, vel antepenultimo loco, seu ante ultimam Orationem a Rubrica indicatam? S. C. resp.:

*Quaest. 1.*: „In casu Collecta erit sequens: *Ne despicias n. 13 posita*; *quaest. 2.*: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam: *quaest. 3.*: Detur Decretum Regni Hispaniarum diei 12. (15.) Maji 1819 nimirum: Negative in duplicibus primae Classis, ut alias responsum fuit: quoad duplicia vero secundae Classis ad libitum Celebrantis legi vel omitti poterit Collecta imperata in Missis privatis tantum, in Conventuali et Solemni omittenda: *quaest. 4.*: Diebus a Rubrica praescriptis secundo loco etiam in Missa Conventuali juxta Rubricas: in Missis privatis, quando est semiduplex vel simplex, ad libitum Sacerdotis pro aliquo Defuncto penultimo loco ante Collectas juxta recensitum Decretum Sanminiati. diei 2. Decembris 1684.“ n. 4746 ad 1 die 23. Maji 1835.

b) Non dicenda.

Vd.: *Oratio imperata* (dicenda etc.; praecipue decr. n. 4526, 4560, 4746).

In missis Vigiliae Nativit. debent omitti Orationes a Superiore praeceptae. n. 4299 ad 5 die 3. Mart. 1761.

*Ad dubium*: An Oratio: *Deus, refugium nostrum*, quando SS. eam pro re gravi dicendam jubet, dicenda sit etiam in festis I. cl.? S. C. resp.: Non esse dicendam. Die 7. Aug. 1627, *in una Urbis*.

*Ad dubium*: An in Dominicis Adventus et Quadragesimae omittenda sit Collecta a Superioribus imperata?

Et Emi P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt:

„Negative, exceptis Dominica Palmarum et Dominica IV. Adventus in hujus occursum cum Vigilia Nativitatis D. N. J. C., in quibus omittenda est Collecta imperata.“

Et ita S. C. respondit, statuit et ubique servari mandavit. n. 4586 ad 2 die 20. Apr. 1822.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Quaestio hujusmodi facillimae solutionis est. Ne vetustiora quaeramus, S. R. C. in *Assisien.* sub die 25. Maji 1819 declaravit Collectam imperatam omittendam esse in dupl. 1. cl., posse ad libitum Sacerdotis legi vel omitti in Missis privatis occurrente dupl. 2. cl., in conventuali et solemnibus omittendam. Haec regula tenenda est in Festis dupl. 1. vel 2. cl., non autem in Dominicis Adventus et Quadragesimae, quae, licet habeant qualitatem 1. vel 2. cl., hoc tamen privilegio gaudent ad unum dumtaxat effectum, rejiciendi in occursum Festa talis ritus, sed vere non sunt, nisi *ritu semid.*; ideo in concursu cedunt cuicumque Festo rit. dupl., plures Orationes in Missa admittunt et commemorationem de simplici, nec non in Officio suffragia Sanctorum, preces etc. Nulla proinde ratio est, ob quam in iisdem legi nequeat Collecta a Praesidibus imperata. Du-

bitare quis forte posset de *Dominica Passionis*, de altera *Palmarum*, de 4. *Adventus*, dum haec incidit in *Vigilia Nativitatis Domini*. Prima namque duas tantum Orationes admittit et, quatenus simplex occurrat, de hoc fit commemoratio loco illius, quae dicenda foret secundo loco: *Dominica Palmarum*, praeter unam Missae propriam, aliam non habet Orationem; et *Vigilia Nativitatis Domini* id peculiare habet, ut de ea fiat etiam in occursum cum *Dominica 4. Adventus*, de qua tantum fit commemoratio; et quum illa respuat etiam commemorationem de simplici, ista vero Vigiliae cedens, retineat tantum commemorationem, quae numquam perit (nisi vacet et ad aliam diem infra hebdomadam transferatur, ut nonnumquam accidit in Octava ejusdem Nativitatis et altera Epiphaniae) in neutra legenda erit Oratio imperata. Et quoniam S. R. C. in *Aquen.* sub die 3. Mart. 1761 ad 5 declaravit: *In Missa Vigiliae Nativitatis debent omitti Orationes a Superiore praeceptae etc.*; ob paritatem rationis idipsum declaratum censendum est quoad *Dominicam Palmarum*. De duabus ergo hisce Dominicis composita lis est. Non ita de *Dominica Passionis*. Nam non desunt, qui existimant in hac etiam omittendam esse Orationem imperatam quia in Missa hujus Dominicae duae tantum Orationes a Rubrica assignantur et S. R. C. explicando *Rubricam* forte non satis claram sancivit dicendam non esse Orationem secundo loco assignatam, si occurrat commemoratio de simplici in Missis ferialibus a *Dominica Passionis usque ad Feriam V. in Coena Domini et infra Octavas Paschatis et Pentecostes*. Ita in una *Rubricarum* 22. Novb. 1659. Caesar-Augustana 22. Sept. 1692 et in altera *Rubricarum* 15. Sept. 1836. Antequam prodiret postremum Decretum, in quo S. R. C. ad dubium: *An in Missis*

*ferialibus a Dominica Passionis usque ad Feriam V. in Coena Domini, occurrente Festo simplici, adhuc dicenda sit tertia Oratio Ecclesiae vel pro Papa: et an eadem tertia Oratio recitanda quoque sit infra Octavas Paschatis et Pentecostes?* sub die 15. Sept. 1736 respondit: *nihil esse innovandum, nempe non esse dicendam tertiam Orationem*: Magna erat quaestio inter Scriptores super intelligentia Rubricae et particulis: *tantum, nisi*; et plurimi opinabantur ita intelligendas esse particulas, ut, duabus assignatis Orationibus, tertia addenda esset in occursum simplicis; et quamvis contrarium tenerit cum aliis *Garvantis*, ejusdem tamen commentator *Meratus* suspensio haerebat animo et tantummodo dubium deposuit, postquam evulgatum fuit Decretum, de quo supra. Sed quid hoc nostra interest? Numerus taxative Orationum, quae sunt in praecepto in *Dominica Passionis*, impedimento non est, quin altera addatur a Superiore imperata; secus haec dicenda nec esset in feriis, quae occurrunt a *Dominica Passionis usque ad feriam V. in Coena Domini*, neque in postremis feriis et Sabbato *Octavarum Paschatis et Pentecostes*, quia tam in istis quam in illis Missae feriali et de Octava duae tantum Orationes assignantur; nihilominus nemo est, qui imperatam neget esse dicendam; pari igitur modo legenda erit in *Dominica Passionis*. In hac namque et sequentibus *Octavis Paschatis et Pentecostes* duae tantum assignantur Orationes, quia, sicuti in Officio omittuntur *Suffragia Sanctorum*, ita omittitur in Missa *Oratio A Cunctis*, quae suffragiis respondet, neque substituenda est alia, ad implorandum B. M. V. auxilium, ut fit in Adventu, post Epiphaniam usque ad Purificationem et tempore Paschali. Quod si ratio quaeratur, facile est eandem adinvenire. Id eo namque tem-